

Überlieferung: Reg. Vat. 249 fol. 97^r (= V). Hs. Wolfenbüttel 315 Helmst. fol. 199^{ra-b} (= W).

Zur Sache vgl. oben S. 114 f. — Der Edition liegt die Überlieferung im päpstlichen Register zugrunde. Die Wolfenbütteler Hs. ist mit herangezogen worden, obwohl es sich hier nicht um die Abschrift der Ausfertigung für Heinrich de Agro, sondern um die — freilich textlich übereinstimmende — Fassung für dessen Mitbruder Ludwig de Caliga handelt. Abweichungen der (recht fehlerhaften) Editionen sind nicht verzeichnet worden.

Urbanus^{a)} episcopus servus servorum dei venerabilibus fratribus . . .^{b)} universis^{c)} archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis aliis prelatiis et personis ecclesiasticis, necnon nobilibus viris principibus ducibus marchionibus comitibus baronibus aliisque terrarum dominis ac universitatibus et rectoribus civitatum opidorum castrorum et villarum per Alamanniam^{d)} constitutis salutem et^{e)} apostolicam benedictionem. Imminente^{f)} nobis cura gregis dominici ex officio pastoralis, solerter vigilare nos convenit, ne lupina rabies heretice pravitatis sub ovium vellere latitans mactet crudeliter et disperdat, quos fidei vivificat sacramentum. Cum itaque, sicut accepimus, pestis illorum hereticorum, qui Beghardi vocantur, in nonnullis Alamannie partibus — procurante humani generis inimico — dicatur exorta, nos cupientes, quod pestis ipsa — que multum posset esse periculosa fidelibus, si non extirpetur^{g)} — celeriter de caulis fidelium propellatur, et quod officium inquisitionis — dilecto filio Henrico^{h)} de Agro ordinis fratrum Predicatorum, in nonnullis civitatibus et diocesibus parcium predictarum inquisitori dicte pravitatis, et aliis inquisitoribus eiusdem pravitatis apostolica auctoritate commissum — ad profectum fidei et animarum salutem auctore domino prosperetur, universitatem vestram rogamus et hortamur attente per apostolica vobis scripta in virtute sancte obediencie districte precipiendo mandantes, quatenus ob reverenciam divinam etⁱ⁾ apostolice sedis ac^{j)} nostram et^{k)} amorem fidei prelibate ipsos inquisitores et suos vicarios benigne recipientes et honeste tractantes ac eis in prosecucione negocii dicte fidei in capiendo et custodiendo huiusmodi hereticos seu suspectos de heresi utriusque sexus, contra quos ipsi inquisitores vel eorum vicarii procedent, pro tempore et alias — prout expedierit — consilium auxilium vel^{l)} favorem totis viribus devotisque mentibus efficaciter impendatis, vestros carceres — quibus in eisdem partibus carere dicitur

^{a)} Überschrift (oberer Rand, von anderer Hand als Grundtext: Contra Beghard(os) W; fehlt Urbanus — dei V ^{b)} fehlen Reverenzpunkte W ^{c)} fehlt W
^{d)} Allemanniam W ^{e)} etc. statt et apost. ben. V ^{f)} imminente W
^{g)} folgt et V ^{h)} Ludowico de Caliga statt Henr. de Agro W ⁱ⁾ ac W
^{j)} et W ^{k)} ac W ^{l)} et W